

Trentacinq. *lib. 3. Resolut. 2. de matrim. n. 15.* addita hac ratione: quia, inquit, quando inter plebejos interveniunt magna Arrhæ, ita impeditur libertas matrimonii, sicut per adjectionem pœna, ideo propter rationem naturalem debemus recedere a verbis legis, & servare sententiam, arg. *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de Leg. 2.* Ab his non multum abest, quod Sichardus scribit, immodicas scilicet non valere; quæ autem tales sint, Judicem ex personarum qualitate & rerum quantitate æstimare oportere. *in l. fin. C. de Spons. num. 24. & 25.* Bartolus quantitatem Arrhæ restringit ad dotis quantitatem, docens, Arrham dotis æstimationem excedere non posse. *ad l. Titia. 134. pr. ff. de U. O.* idque ne major infligatur pœna illi, qui a sponsalibus discessit, quam ei, qui veras nuptias diremit; atque hanc sententiam æquitatem habere scribit Alciatus, *ad d. l. Titia 134. pr. de U. O. num. 13.*

L X V I.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam, nimirum etiam sponsalibus cujuscunque quantitatis Arrhas apponi posse, receptiorem esse, ipse testatur Alciatus d. l. Quia leges de hac agentes, generaliter & indistincte loquuntur; ergo nec nostrum erit distinguere. *l. 8. ff. de Publ. in rem act.* Hinc Joh. Andr. *in apistill. ad Panorm. in c. Gemma. x. de spons. se,* ait, quatuor millium librarum Arrhas vidisse, referente H. Canis. *ad d. c. Gemma. n. 5.* atque hanc sententiam amplectitur etiam Agabit. Matth. *inter consil. matrimonial. Zilett. 6. num. 23.* ubi refert, utrumque mutuo 400. fl. Arrhæ nomine dedisse. Francisc. Mansuet. *seq. consil. 7. num. 20.* Laurent. de Rudolphis *seq. cons. 8. n. 8.* Angel. de Cambiglionibus *seq. cons. 13. num. 1. & seqq.* Nec eadem militat ratio in magnis Arrhis, quæ in pœna, per ea, quæ supra in *in thes. 50. & 52.* sunt dicta. Præterea illæ facilius & suavius amittuntur, quam non tradita solvantur, inquit Joh. Gutierrez. *tract. de Matrim. cap. 18. num. 6. & Sanchez. tr. de Matrim. lib. 1. disp. 35. num. 2. & 9.* Et quamvis a sponsalibus recedens plus amittat, quam divortium faciens, hoc ipso tamen ipsi, tanquam volenti, nulla fit injuria.

F

Sibi